



Lampertus Schaffnaburgensis egregia indo-
le præditus, ut commodius studijs inuigilare
& pietati operam dare posset, Hirsfeldense mona-
sterium ingressus est: Ibi diligenter libris incubuit,
& sui temporis Historiam eruditè conscripsit, quæ
etiamnum extat. Is etiam religionis causa Hierofo-
lymam profectus est, idç magno zelo, uerum (ut
ipse inquit) sine scientia. Cum autem in itinere, &
domi uideret multos errores in Ecclesiâ penetrasse
atç etiam ecclesiarum proceres ad uitia declinasse,
multis in locis mores eius seculi deplorauit, atç o-
mnes ad uirtutes excitauit. Itacç cum Pontifex Ro-
manus sacerdotum coniugium abolere conaretur,
quod hactenus non tantum in Germania & Gallia, sed etiam in quibusdam
locis Italiae in usu fuisset, cum quibusdam alijs doctis & pijs uirit ei fortiter re-
stituit. Narrat etiam cruentum certamen bis accidisse Goslarię in templo de su-
periori loco sessionis, inter Hezelonem Hildesheimensem præfulem, & Vue-
deradum Fulensem abbatē, idç Cesare inspectante, qui eos cohibere haud-
quaquam potuit, ita ut multi in templo atç ad altaria fœde trucidati fuerint,
inquiens: Sic depravata ecclesiastici rigoris censura, homines non ut quondam,
ut præcessent Ecclesiæ Dei, iniecta manu preliabantur, fundebantç sanguinē,
non pro ouibus Christi, sed ut dominarentur ouibus Christi.